

# CLASSICS PART IA, LATIN LANGUAGE

## MICHAELMAS, WEEK 3

### 1. Translate:

*Cicero entreats the jurors to give him an unbiased hearing.*

illa definitio iudiciorum aequorum, quae nobis a maioribus tradita est, retineatur, ut in iudiciis et sine invidia culpa plectatur et sine culpa invidia ponatur. quam ob rem a vobis, iudices, ante quam de ipsa causa dicere incipio, haec postulo: primum – id quod aequissimum est – ut ne quid huc praeiudicati adferatis (etenim non modo auctoritatem, sed etiam nomen iudicium amitteremus, nisi hic ex ipsis causis iudicabimus ac si ad causas iudicia iam facta domo deferemus); deinde si quam opinionem iam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio convellet, si oratio labefactabit, si denique veritas extorquebit, ne repugnetis eamque animis vestris aut libentibus aut aequis remittatis; tum autem, cum ego una quaque de re dicam et diluam, ne ipsi quae contraria sint taciti cogitationi vestrae subiciatis, sed ad extremum exspectetis meque meum dicendi ordinem servare patiamini: cum peroraro, tum, si quid erit praeteritum, animo requiratis.

(Cicero)

## 2. Prepare:

*Aeneas mourns the death of Pallas, for which he feels responsible.*

'tene,' inquit 'miserande puer, cum laeta ueniret,  
inuidit Fortuna mihi, ne regna uideres  
nostra neque ad sedes uictor ueherere paternas?  
non haec Euandro de te promissa parenti  
discedens dederam, cum me complexus euntem  
mitteret in magnum imperium metuensque moneret  
acris esse uiros, cum dura proelia gente.  
et nunc ille quidem spe multum captus inani  
fors et uota facit cumulatque altaria donis,  
nos iuuenem exanimum et nil iam caelestibus ullis  
debentem uano maesti comitamur honore.  
infelix, nati funus crudele uidebis!  
hi nostri reditus exspectatique triumphi?  
haec mea magna fides? at non, Euandre, pudendis  
uulneribus pulsum aspicies, nec sospite dirum  
optabis nato funus pater. ei mihi quantum  
praesidium, Ausonia, et quantum tu perdis, Iule!"  
haec ubi defleuit, tolli miserabile corpus  
imperat, et toto lectos ex agmine mittit  
mille uiros qui supremum comitentur honorem  
intersintque patris lacrimis, solacia luctus  
exigua ingentis, misero sed debita patri.

(Virgil)